



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XVII. De dispensato in defectu Natalium quoad Ordines Sacros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

sed etiam peccaturum esse mortakiter, qui hisce perlectis & intellectis peteret in se iterari Ordinationem Sacerdotalem ex ea solum causa, quod sciret, non fuisse tactam à se hostiam, quia Sacrilegium est iterare Ordinem, etiam sub conditione tantum, sine prudenti dubio de illius valore. Quid ergo dicendum de illo, qui tantum dubitat, vel timet, vel putat, hostiam à se tactam non esse? Ulterius infero,

nec obligationem tangendi physice hostiam & immediate sufficienti probabilitate niti, consequenter etiam scienter hunc immediatum tactum committi posse sine peccato; quamvis suaderem ego, si recordetur ordinandus, ut etiam hostiam tangat cum patena, si commodè possit. Vide Gobat à n. 102. ubi simillimum nostrum casum similiter resolvit.

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum.

DECISIO XVII.

De Dispensato in defectu Natalium quoad Ordines sacros.

SPECIES FACTI.

Alipius Parochus alebat in Studiis adolescentem egregie indolis & optimorum talentorum, quem voco Amantium. Aliquando conveniebat Professore Amantii exploraturus, qui se gereret: optime, reposuit Professor, optime se gerit, excellit ingenio, eminet probitate, & industria, conspicuus est præ cæteris facilitate, humanitate & comitate morum, adeo quidem ut spectatis omnibus parem vix, vel ne vix quidem habeat, spemque maximam de se præbeat, quod

in insignem aliquando virum sit evasurus. His laudibus captus Alipius continere se amplius non potuit, sed candidè ac disertè edixit: *celare & negare non possum, Amantius est meus filius*: cogito ipsum, quod & ejus desideria collimant, promovere ad sacros Ordines. Si hoc, excipit Professor, opus habet dispensatione Sedis Apostolicæ, præsertim si hic natalium defectus est notorius. Libenter, regerit Alipius, hanc ei procurabo, nulli parcam labori, nullis sumptibus.

Ob-

Obtenta dispensatione vix in Presbyterum ordinatus est Amantius, eidem nescio quibus artibus impetravit Alipius beneficium sat quidem pingue, sed simplex. At quia de Amantii illegitimis Natalibus constabat, Competitor beneficii hunc ipsi defectum

objiciebat, asserens non sufficere obtentam dispensationem, quæ præcisè susceptionem Ordinum Sacrorum, non Beneficium respiciebat. Quapropter Alipius rursus ad Amantii Professore recurrit, proponens ei hanc

QUÆSTIONE M.

An dispensatus ad Ordines sacros non hoc ipso censeatur esse dispensatus ad beneficium simplex?

GRAVES quidem Doctores in ea sunt opinione, quòd dispensatio ad Ordines Sacros & Majores se non extendat ad Beneficium, etiam simplex tantum, sed opus sit nova dispensatione: quos inter est Rebuff. in Praxi benef. tit. de dispens. super. def. natal. n. 48. Barb. de potest. Episc. alleg. 54. n. 6. Garcia de benef. p. 1. c. 6. n. 70. Abb. Panormit. in c. litteras n. 6. h. t. Conspirat Corrad. in praxi benef. l. 3. c. 7. n. 15. ac novissimè D. P. Verani Ord. Cleric. Theatinorum ad b. t. n. 10. & alii, ipso teste, *ferè communiter*. Fundantur I. in Stylo Dataria Romanæ, juxta quem dispensatio ad Ordines Sacros non intelligitur ad beneficia etiam simplicia: Stylus autem Dataria continet mentem Pontificis, siquidem Datarius est Minister Pontificis, & ejus nomine agit: ergo extendere dispensationem ultra intentionem, & Stylum Dataria est extendere ultra mentem Pontificis. II. In natura dispensationis, quæ, quia relaxat Juris vinculum, o-

diola est & strictæ Interpretationis: ergo extendi non debet ultra verba eorumque significationem propriè & strictè acceptam: sed verba Ordines sacri utique non significant beneficium, etiam simplex. III. In paritatibus: dispensatus simpliciter ad Ordines non censeatur dispensatus ad Ordines sacros seu majores, ut habet communis: dispensatus simpliciter ad beneficia non censeatur dispensatus ad beneficia curata, dignitates, personatus, Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum: dispensatus simpliciter ad Ordines minores non censeatur dispensatus ad ullum beneficium, etiam simplex: ergo neque dispensatus ad ordines majores; quia univèrsim dispensatio in certo genere obtenta non debet extendi ad aliud genus, præsertim præstantius.

Utut autem isthæ non modicam sententiæ neganti concilient probabilitatem, tanti tamen roboris esse non censuit Professor Amantii, ut affirmantem non crediderit sicut ben-

gniozem, ita magis probabilem. I. quia Trid. *Seff. 21. c. 2. de ref.* non vult conferri Ordinem Sacrum sine Titulo beneficii (nam titulus patrimonii solum ex indulgentia sufficit & in defectum) ergo beneficium præsupponitur ex dispositione Juris per se ad Ordinem Sacrum : ergo, cui conceditur, ut suscipiat Ordinem Sacrum, tacite simul conceditur, ut ipsi conferatur beneficium. II. Si quis ad Ordinem Sacrum fuerit promotus, secundum SS. Canones ei debetur beneficium, ne cogatur mendicare, vel sordidum quæstum exercere. *can. 5. d. 93. §. mendicat. c. proposuit 6. h. t. c. Episcopus 4. de præb.* quia dignum est, ut habet *c. cum secundum Apostolum 16. eod.* ut, qui servit altari, ex altari vivat. Atque ita sentiunt Butr. in *c. postulasti de Rescr. Imola ibid. n. 4. & Felin. n. 12. Sayr. de censur. l. 8. c. 21. n. 22.* & alii plures ac insignes DD, ut fatetur Verani. Unde non video, quo jure nostram sententiam neque ut probabilem velit admittere *n. n. lo. cit.* præsertim cum non admodum difficilis ad ejus argumenta sit responsio.

Ad I. Observantia & Stylus Dataria non facit Jus commune, neque mentem Pontificis declarat pro aliis

tribunalibus reliquarum Ecclesiarum, quibus favet Tridentinum & Jus commune *locis cit.* Deinde ex Stylo Curia Romana plus non videtur probari, quam quoddam soleat dari specialis dispensatio ad beneficium simplex, si illam petat dispensatus ad Ordines sacros, non vero, quod nova dispensatio peti debeat, aut illam peti jubeat Pontifex, qui in Tridentino & Jure communi aliam esse suam mentem satis declaravit. Ad II. N. Conf. & suppositum, quod fiat extensio ultra verba dispensationis, quia hæc, ad sacros Ordines data, tacite & virtualiter continet ex dispositione Juris dispensationem quoad beneficium simplex, non enim fit extensio, ubi unum continetur in altero, aut unum est accessorium ad alterum, vel inter se connexa, *per c. 17. de sent. Excom. in 6. & traditur ad Tit. de Rescriptis.* Ad III. concessio *antec.* quoad omnia membra *N. conf. & parit.* quia in prioribus exemplis nec ex natura rei nec ex dispositione Juris datur talis connexio, & contentia unius in altero, sicut eam dari ex dispositione Juris verisimiliter ostendimus inter Ordines sacros & beneficium saltem simplex.

